

ארור ליה או למי ששמו רחום אם יש ליה בלום אצלו.
 Quod ex Versione *MAGNIF. DNI DASSOVII*, (59) *Philologi plane incom-*
parabilis, cuius favorem Wittebergæ quondam in nos collatum merito adhuc
deprecamus; ita reddendum: Ecce ego juro per Jehovah DEUM Israelis,
aut per illum, qui vocatur graciosus, (κατ' ἰζοχνη) vel per illum, qui vo-
catur misericors, (infinite) me non esse illius rei reum. Sic quoque, si ipse re-
citaret execrationem, dicebat, sit hic maledictus Jehovah, & maledictus illi,
qui vocatur graciosus, si de illo aliquid habet in potestate sua. Ex quibus
locis constat, ordinarie Judæos jurasse per nomen DEI essentielle יהוה, aut
eiusdem aliquod cognomen, addita interdum execratione, interdum omissa,
quod jam pluribus exemplis ex S. Codice ulterius erit declarandum.

(57) *l. c. c. XI. §. 2. seqq.* (58) *ibid. §. 8.* (59) *in Colleg. MSC. Antiquar. potissimum in*
Maimonid. habito Witteb. 40. 1698.

§. 7. Communiter atque ordinarie Judæi olim jurabant בשם
 יהוה per nomen essentielle DEI יהוה. Quod haut obscure colligere
 est, ex crebrius occurrente phrasi, qua aliquis dicitur השבע כיהוה jurasse
 per Dominum, uti hanc invenimus, de Saule, (60) Davide, (61) Salomone,
 (62) aliisque. Circa quam tamen phrasiologiam duo sunt notanda, (I.)
 interdum per eandem non tantum nudum aliquod juramentum, sed & to-
 tum simul cultum divinum indigitari, ut in illo Psalmistæ, (63) יתחלל כל
 הנשבע בו כי יסכר פי דוכרי שקר *Gloriabitur omnis jurans per eum,*
obturabitur autem os loquentium mendacium, ubi הנשבע בו idem est ac
DEum rite colens, ut recte observat Flacius, (64) Geierus. (65) Sicuti e-
contra, jurare per DEos alienos, s. per idola, est eadem pro Diis agnoscere
& venerari, ut in illo Amosi. (66) הנשבעים באשמת שמרון ואמרו
חי אלהיך הן וחי דרך בארשבע ונפלו ולא יקומו עוד. Qui jurant
per reatum Samariae; Dicuntque, per vitam DEI tui, ô Dan, & per vitam
viæ Berscheba; Sic cadent, nec resurgent amplius. (II.) Hanc Phrasin
in sensu modo explicato sumptam, ferme coincidere cum altera, השבע
ליהוה jurare DEO, ubi verbum construitur cum ה, uti occurit, (67)
הנשבעים ליהוה הנשבעים במלכם, ubi Junius & Tremellius, (68)
ad verbum non accurate vertunt; jurantes per Jehovah, sed rectius: Juran-
tes Jehovah, ita ut sensus sit juxta Job. Tarnovium, (69) exscindi debere,
qui incurvantes se, jurant Jehovah, i. e. DEO se addicunt, veræque ejus re-
ligioni se consecrant, & tamen simul jurant per Melechum.

(60) *1. Reg. XXIX. 10.* (61) *1. Reg. I. 17. 1. Sam, XXIV. 22.* sive, ut de eodem dicitur,
1. Sam, XX. 42. cum jurasse בשם יהוה per nomen Domini, quæ eadem

B

phra-